AD ILL.MUM ET R.MUM LAURENTIUM PRIULUM VENETIARUM PATRIARCHAM ET S.R.E. CARDINALEM...

Tommaso Priuli

AD ILL. ET R.

LAVRENTIVM PRIVLVM

VENETIARVM PATRIARCHAM

ET S. R. E.

CARDINALEM AMPLISIMVM

THOMÆ PRIVLI

IOANNIS FILII

PATRITII VENETI

ORATIO.

SI eorum, quæ oratione tractantur, magnitudo, & præſtantia non aliunde, quàm ex eius, qui de eis diſſerit, ingenio, & dicendi copia penderetur, magnopere mihi verendum eſſet, Cardinalis Ampliſſime, ne hodierno die ſplendor, ac dignitas maximarum, pulcherrimarumque rerum, quarum explicandarum prouinciam ſuſcepi, ingenij mei tenuitate, & orationis inopia imminueretur. Dicturus enim, quantum gaudij parentes mei, quantum lætitiæ propinqui, cognatique, ac neceſſarij tui, ijdemque etiam mei, quantum voluptatis omnes boni viri, quantum denique iucunditatis ego ipſe, te Cardinale declarato, perceperim; intelligo, mihi faciendum eſſe, vt veteri, atque vſitato eorum, qui huiuſmodi munus obire conſueuerunt, inſtituto, de ſingularibus, atque eximijs virtutibus, quæ te ad tantum iſtum dignitatis, atque honoris gradum meritò extulerunt, breuiter diſſeram; & non omnia quidem, quod infinitum eſſet, ſed aliqua tamen eorum, quæ tùm pro hac Rep. cum in ea Senator egregius, & exiſtimatione innocentiæ, & cæteris ornamentis maximè floreres, tùm etiam pro Venetæ Eccleſiæ incremento, & amplificatione, vbi ad eam regenda[illegible] tanto bonorum omnium conſenſu cooptatus es, piè, fortiterq; geſſiſt[illegible] comm[illegible]orem. Quæ omnia ſiquis ita ſe tractare poſſe confidat, vt rerum magnitudini orationis pulchritudo reſpondeat, eum [illegible] exercitatum eſſe in dicendo, vt facultate ſua fretus, nihil

ſibi difficile; atq; arduum putet, aut ita inexercitatum, vt errore ductus, rerum pondera, & momenta ſatis acutè, atque intelligenter perſpicere, ac dijudicare non poſſit. Neque mihi nunc alia vlla res perculſum, ac debilitatum hac cognitione animum erigit, ac confirmat, quàm quòd apud te dicendum eſt, Cardinalis Ampliſſime, qui & ea ſapientia es, vt, quanti quęque res ſit, ex natura ipſius, non ex ijs, quę de ea dicuntur, ponderes, & ea lenitate, ac manſuetudine, vt eis, qui potius, quàm officium deſerant, eius onere opprimi malunt, facile, ac libenter ignoſcas. Mihi verò memoria honeſtiſſimas actiones tuas repetenti, & mentis oculos per ſummas tuas, & diuinas laudes circunferenti, non vnde incipere, ſed vbi deſinere debeam, ſtatuere difficile videtur. Tanta eſt enim rerum abs te geſtarum magnitudo, tanta copia, vt neq; poſſit quiſquam, ne ſi mentiri quidem velit, maiora confingere, neque vera conſectans, omnia tam breui temporis interuallo perſequi, ſed aut ab ipſo multa, aut ipſum à tempore deſeri neceſſe ſit. Nam cùm intelligeres, animum humanum duabus pręcipue rebus perfici, & ad illud, ex quo ductus eſt, diuinitatis exemplar proximè accedere; cognitione primum, & intelligentia earum rerum, quę dignæ ſunt, in quibus ſtudium collocetur; deinde procurandis vel publicis vel priuatis commodis, ijsque actionibus ſuſcipiendis, ex quibus quàm maximus fructus ad quàm plurimos perueniret, iam inde ab ipſo ineuntis ætatis principio ita vitam inſtituiſti tuam, vt perpetuò ad eos, quos dixi, fontes omnia retuliſſe, neq; vnquã vllum temporis punctum mentis aciem ab eis deflexiſſe videaris. Itaq; totum illud adoleſcentię tempus, cui & communi hominum conſuetudine, & quadam propè ipſius naturæ tacita lege maior quędam licentia tribui, ac permitti ſolet, à te non in remiſſionibus animi, neque in eis voluptatibus, quibus ætas illa plerunque etiam ſine reprehenſione capitur, poſitum, ſed in aſſidua præſtantium doctrina virorum, & cõſuetudine, diligentiſſimaq; cùm omnium honeſtarum artium, tùm earum pręcipuè, quę populorum rectoribus neceſſariæ ſunt, perueſtigatione conſumptum eſt. Neque verò te ab eo, quod tibi propoſueras, curriculo aut deterere poſteà laboris aſperitas, aut auocare voluptatum blandimenta potuerunt; qui enim ſemel ad ſolidam, & immortalem gloriam recto itinere contendere penitus imbibiſſes, omnia tibi, dum eò, quò inſtitueras, peruenires, contemnenda, & pro nihilo putanda eſſe duxiſti. Nimirum illam tu virtutis pulchritudinem, quam Plato, ſi cerneretur, mirabiles ſui amores excitaturam eſſe dicebat, non corporeis, ſub quos illa non cadit, ſed ijs, qui, ſi nulla cupiditatum nubes oppoſita eſt, multo perſpicacius, & acutius cernunt, animi oculis videras, eiusque deſiderio incenſus, niſi adepta ea, vitam ipſam tibi acerbam, atque inſuauem fore ſtatuebas. Igitur cùm Patauij defixus in pręſtantiſſimarum artium ſtudio primam ætatis partẽ mexegiſſes, egregiamq; adoleſcens ſtudiis operam

nauaſſes;iudicaſti,tibi iam eſſe ex domeſtico illo,& vmbratili vitę genere,quod ad illud vſq; tempus,flagrantiſſimam illam cognitionis, & doctrinæ ſitim expellere cupiens,neceſsariò colueras, in Solem, quod dicitur,& in puluerem prodeundum:tempus eſse,vt præclara illa ſemina, quę diligenter ſubacto, ac prępararo animo colueras, omni ratione foueras,alueras,auxeras;efferrent tandem ipſa ſe,& fructus expectatione dignos hominum generi afferrent. Nec enim te fugiebat, omnem cognitionem,quam nulla conſequeretur actio, mancam quodammodo, & inchoatam eſse;qui ſe ita ſtudijs abdidiſsent,vt nihil ex eis ad vtilitatem publicam protuliſsent, eos nunquam magnopere commendatos, ſępe etiam reprehenſos,ac vituperatos fuiſse. Quapropter in patriam profectus,vt quę te prima vrbs naſcentem gremio,& ſinu ſuo exceperat, eadem quoque,vt par erat,primos perciperet induſtriæ tuę fructus,omnibus illis inſignibus,atque ornamentis, quę ampliſſima in hac ciuitate tribui ſolent, nullo negocio virenti adhuc, & immatura ætate affectus fuiſti;in quibus quidem gerendis raræ cuiuſdam,& exquiſitæ prudentiæ multa,luculentaque teſtimonia domi,foriſque dediſti; quæ ita magna, & memorabilia ſunt, vt cùm ſingula intueor, nihil eorum ſine flagitio prætermitti poſse exiſtimem;ita multa rurſus, vt cum vniuerſa contemplor,plurima mihi neceſsariò omittenda eſse cognoſcam. Nam (quod felix,& auſpicatum honorum tuorum principium fuit) quodnam virtutis,atque ingenij ſpecimen omnibus ciuibus oſtendiſti, cum Ordinum Sapiens (vulgaribus ac proprijs notis ſingula dignitatum tuarum nomina compellabo) frequentibus Senatus votis declaratus ſis? quam ſpem vniuerſæ Italiæ,quin etiam vniuerſo terrarum orbi, te in negocijs pertractandis miro quodam ingenio,ac facillima quadam dexteritate futurum,patefeciſti,cum ad M. Hetruriæ Ducem delegatus fueris? quæ indicia,& argumenta bene,ſanctèque regendarum vrbium conſtituiſti, cum Bellunum Vrbem,Prætor, ac Præfectus adminiſtraris? quam erga patriam pietatem,& charitatem prætuliſti,cum rei Communis Prouiſor renunciatus fueris? quam integerrimi Senatoris & prudentiſſimi admonitoris ſpeciem, atque imaginem demonſtraſti,cum Continentis (at aiunt)Sapiens ab vniuerſo Senatu fueris delectus? quantam in agẽdis maximi ponderis rebus perſpicaciam,& grauitatem enucleaſti, cum ad Hiſpaniarum Regem Philippum Legatus miſsus fueris? quàm multas tùm lenitate, tùm ſeueritate populorum in Officio continendorum rationes docuiſti,cum Cremæ Præturam,ac Prefecturam obieris? quàm admirabilem in tractandis cum maximis Principibus, ac Regibus difficillimis negotijs prudentiam aperuiſti,cum ad Galliarum Regem Henricum III. Legatus fueris deſtinatus? quantum Legationi ipſi decus, ac ornamentum addidiſti,cum Romam ad Gregorium XIII. & ad Syxtum V. Pōtifices Maximos, Maximus Orator demandatus ſis?cùm ſcilicet ab

eodem Syxto in perpetuum virtutum tuarũ teſtimoniũ aurea Equeſtri dignitate auctus,& ornatus fueris? quanta infinitæ, ac propè diuinę Sapientiæ documenta tribuiſti, cùm maioris Conſilij Sapiens fueris creatus? quàm multa prudentiſſimi,vel potius ſapientiſſimi conſilij lumina tradidiſti,cum in Conſiliariorum numerum adſcitus fueris? quot iuſtitię exempla prębuiſti,cũ Brixia, Vrbs Venetorũ fortiſſima,tui ipſius Prętoris,atq; etiam Nicolai Guſsonij Præfecti,perneceſsarij tui, nunquam ſatis pro dignitate laudati viri (quem honoris gratia nomino) imperio concredita fuerit? quot ſcientiæ, ac bonarum artium cognitionis ſigna tuliſti,cum Patauini Gymnaſij Reformator fueris deſignatus? quàm rectè conficiendarum,referendarumque rationum artem tenere te omnibus explicaſti,cum publici ærarij Prouiſor rite fueris tali officio perfunctus? Quid plura? vbi ad iſtud Patriarchale munus te Brixiæ tunc pro illius populi ſalute elaborantẽ, Reip. cauſa abſentem,& non poſtulantẽ frequens Senatus elegit,quàm multa pietatis,iuſtitiæ, innnocentiæ, ingenij, prudentiæ, charitatis, ſapientiæ,omnium denique laudandarum virtutum ſemina in omnium animis inſeruiſti? Hinc factum eſt, vt iudicium,& auctoritas Clementis VIII. Pont. Max. qui tanquàm ſeuerus, atque acerrimus omnium rerum æſtimator, nulla prorſus alia re,quàm iſta præſtãti virtute commotus eſt, te ampliſſimum virum,nihil tale ambientem, ac ne cogitantem quidem,in auguſtiſſimum, & ſacroſanctum S.R.E. Cardinaliũ Collegium adſciuerit. Qua quidem in re teſtimoniũ amplum eſt tuis præſtantiſſimis virtutibus redditum. De ipſo autem honore ſi gratulãdum ſit, honori medius fidius magis gratulabor,quàm tibi;qui quàmuis ſplendeat,illuſtriſque admodum ſit,tua tamen dignitate ipſe effectus eſt ornatior. Hìc ego, ſi quod poetæ ſolent, idem nobis quoque facere liceret, Neſtoreum mihi aliquod,aut Vlixeum eloquentiæ flumen optarem,vt quemadmodum vnà cum honoris amplificatione tua ſemper virtus accreuit, ita mea quoque in explicatione laudum tuarum quaſi per gradus attolleretur,& ſe ipſa grandior, ac ſublimior fieret oratio. Vix enim fas videtur, de raris, inuſitatiſque rebus dicentem vſitato, & quotidiano genere ſermonis vti. Sed in hac conſcientia tenuitatis meæ vna me cogitatio ſubleuat,quòd apud eos me dicere intelligo, qui rerum à te diuinitus geſtarum non teſtes modo, ac ſpectatores, ſed exiſtimatores etiam, & exornatores fuerunt. Omnia enim,quæ ab alijs viris in hoc genere geſta ſunt,ſi vnum in locum collata cum ijs,quę tu geſſiſti,compararentur,& numero eorum,& magnitudine obruentur. Sed nihil dictis opus eſt,vbi facta ipſa loqui quodammodo videntur.nam quæ tandem vitæ tuæ pars non eiuſmodi fuit, vt in ea cùm ſemper reperirent boni, quod imitarentur,nihil reperire poſſent improbi,quod calumniarentur? Nunquàm tu honores ſecutus es, ſed recto ſemper itinere gradiẽtem,& de ſola virtute ſollicitum, de alijs re-

bus non laborantem, ipſi te vltro ſunt honores conſecuti. Equidem quò longius in altum inuehor, Cardinalis Ampliſsime, eò mihi amplior, & patentior orationis quaſi curſus oſtenditur: ſed & temporis me ratio, & tua ſingularis modeſtia, vt vela contraham, portumque tandem aliquando reſpiciam, monet. Quare, vt vnde exorſa eſt, in eodem etiam terminetur oratio mea, non eſt mirandum, ſi, te tali Cardinale creato, præcipuum quoddam ipſe gaudium cepi, & ſi iſtius amplitudinis, & dignitatis auctione ita gaudeo, & triumpho, vt nihil mihi ſit optatius, quàm te videre autoritate, & gratia prorſus florentiſſimum. Quì enim poſſum non incredibiliter lætari honore eius, quem ſi ex genere noſtro conſidero, cognatione coniunctiſsimum, ſi ex eis officijs, quæ in me ipſum collata ſunt, humaniſsimum, liberaliſſimum, meique in primis amantiſſimum eſſe cognoſco? Non eſſem dignus hac luce, cuius vſura fruor, non hac vita, non hoc ſpiritu; denique homo non eſſem, ſi aut præclariſſimas tuas virtutes non agnoſcerem, aut quenquam omnium pluris facerem, quàm te, & niſi te omni amore, ſtudio, obſeruantia complecterer. Quamobrem gratulor equidem tibi tua cauſa de iſto honoris altiſſimo gradu, quò te extulit Clementis Pontificis diuina prudentia: cuius Pontificis? omnium ſapientiſsimi, & optimi, qui & ipſe Deo probatus eſt, & non probat niſi ſui ſimiles: ſed me mouet aliquanto magis publica Chriſtiana res, quam tu, traditam tibi ſimul cum iſta dignitate, atque commendatam, tueberis in omni tua vita, præſidiumque erit in te ſitum aduerſus iniuſtitiam, impietatemque firmiſsimum. Quod quidem à te iure expectat Roma vrbium princeps, Roma inquam, quæ te iam communibus votis ad ſe vocat, flagitat, expoſcit, ſperans fore, vt cuius olim virtutem quaſi mutuò datam exiguo quodam temporis ſpatio videre, ac cognoſcere potuit, mox illius præſentis eandem ſibi proprio iure quodammodo vendicatam diutius guſtare, ac delibare, tandemque ſub eiuſdem imperio beatiſsimè conquieſcere liceat.

Dixi.

W